ELIZABETHA *Dei gratia Angliæ, Franciæ, & Hiberniæ Regina, fidei defensor, &c. Sereniſsimo Principi ac Domino Domino* RODOLPHO, *Romanorum Electo Imperatori ſemper Auguſto: Regi Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, & Slauoniæ: Archiduci Auſtriæ: Duci Burgundiæ, Styriæ, Carinthiæ & VVirtinbergæ: Comiti Tyrollis &c. Fratri & Conſanguineo noſtro chariſsimo, Salutem rerumq; optatiſsimarum fœliciſsimum incrementum.*

Sereniſſime Princeps, Frater & Conſanguinee chariſſime, Literæ ſerenitatis veſtræ decimo quinto Iulij datæ, & illæ quidem Germanicé conſcriptæ (quod ſané primo aſpectu, cum id genus idiomatis hactenus inter nos haud vſitatum ſit, dubitationem an commentitiæ eſſent non leuem ingeſſit) ſub finem Octobris redditæ nobis fuerunt, quas quidem ex ſubiecta materia ad Hanſeaticorum inſtantiam editas animaduertimus. Illi vero dum abſoleta quædam Priuilegia in Regno noſtro ſibi ipſi vendicare perperam decreuiſſent Anno octuageſimo ſecundo in Imperialibus comitijs Auguſtæ Vindelicorum habitis, Mandatum (vt hiſce ſerenitatis veſtræ literis habetur) de communibus Imperij ac Dominiorum noſtrorum commercijs perturbandis extorſerunt: & iam nuper anno nonageſimo quarto in Deputatorum conuentu Ratisbonæ, de ipſorum damnis Mari per Thalaſſos noſtros (vt queruntur) illatis, deq; Mercatorum noſtrorum in Imperio negotiandi rationibus (quas illi odioſa appellatione Monopolia vocitant) nonnullis allegatis & deductis, Mandati illius Auguſtani vim atq; executionem poſtularunt. Hac occaſione ſerenitas veſtra pro mutua Amicitia noſtra (quam amantiſsimæ Sororis affectu libenter amplectimur) ſcribendum hoc tempore duxit; noſq; hiſce ſuis amicé hortatur, vt de eiuſmodi malorum remedijs cogitemus, quibus fine querelis impoſito, omnia in florentiſſimo Amicitiæ ſtatu conſeruentur.

Eo certé animo in ſerenitatem veſtram totumq; ipſius Imperium ſemper fuimus, vt arctiſsimæ Amicitiæ iura cum eadem perpetuo tueri, atq; inuiolaté colere ſtatuerimus; quam quidem animi noſtri propenſionem, vti pro re nata ſæpiús teſtatiſsimam reddere hactenus ſtuduimus, ita deinceps mutui amoris noſtri officijs nunquam deerimus. Ad Hanſeaticorum querelas quod attinet, communes querelarum rationes ſubire illas neceſſe eſt: vt nempe quá minús rectè inſtitutæ reperiantur, ſeipſis concidant. Atqui de memoratis Priuilegijs ſæpe iam aliás reſponſum eſt: illa ipſa ante Inaugurationem noſtram collapſa, atq; ex allegatis & probatis publico ac ſummo Regni noſtri Iudicio (a quo nullum Appellationis forum agnoſcitur) penitús euerſa atq; abolita fuiſſe. Nos vero alia nonnulla vt temporum rationes ferebant, aliquamdiu Hanſeaticis conceſſimus; donec ipſi peculiari ipſorum decreto, ſubditos noſtros tum Hamburgæ cum laude reſidentes, nulla dignitatis nec amicitiæ noſtræ ratione habita, nulla ex cauſa, nobiſq; omnino non præmonitis, temeré exturbarent. Poſt aliquanto cum á ſerenitate veſtra commendatitias in fauorem illorum accepiſſemus, ad eaſdem omnino apud nos negotiandi rationes, quibus ipſi noſtri ſubditi vtuntur, illis in gratiam ſerenitatis veſtræ concedendas, ſatis nos inclinatas ſæpe oſtendimus; nihil tamen illi eo in genere hactenus á nobis petierunt. Nunc igitur ſerenitas veſtra cui Deus optimus maximus populos ſubiecit, multo rerum vſu edocta quænam ſint ſceptra tenendi rationes, ipſa ſecum perpendat, an ijs aures præbendæ ſint, qui vetuſta

priuilegia

priuilegia Iuris ordine ſemel abiudicata, & iam olim penitus deleta, quæ mutati ab priſcis temporum atq; hominum mores non ferunt, é cineribus ſuſcitare multa importunitate ſatagunt? Quis enim eſſet rerumpub. ſtatus, ſi quæ iam olim iuſtis de cauſis antiquata oportuit, ad preces cuiuſpiam in vſum denuo reuocarentur? Neq; vero alicubi conſuetum eſt, neq; ratione vlla ferendum videtur, vt Alienigenæ in earum rerum vſu quæ Regnorum ſunt propriæ, Indigenis præferantur: quin potius ſingularis beneficij loco ducitur, ſi pares fiant; id quod nos Ciuitatibus Imperij ſi quæ petiuiſſent, iamdudum ob ſingulare Amicitiæ noſtræ ſtudium, benigné concedere ſtatueramus.

Interim vero quibuſcunq; Imperij ſubditis, in Dominijs noſtris liberé verſandi, & more exterorum negotiandi facultatem nunquam negauimus. Domum propriam in Metropoli noſtra, vbi ſuis moribus viuerent, ex gratia illis ſemper permiſimus: ita quidem vt Iure conqueri non poſſint, ſe vti denunciatos hoſtes apud nos habitos vnquám fuiſſe. Quod vero de damnis acceptis inferunt, ita ſe habet. Cum ſuperioribus hiſce annis bello Hiſpanico implicari cœpiſſemus, more aliorum Principum, bellica præſidia hoſtibus intercludenda, quantum in nobis fuerat decreuimus: eaq; de re Vicinas Ciuitates præmonuimus: atq; ſi qui inhibita hoc belli tempore in Hiſpaniam tranſportare niterentur, eoſdem veluti auxiliatores atq; hoſtium complices, aliqua ex parte habendos, atq; inhibitorum confiſcatione mulctandos declarauimus: his actis Claſſiarij noſtri in plurimas Hanſeaticorum Naues rebus inhibitis onuſtas inciderunt: Nauibus vero ac Nautis ex indulgentia dimiſſis, bona tantum inhibita Iure belli ac Regni noſtri inſtitutis fiſco commiſerunt. Quæ quidem illorum Damna, (de alijs enim nihil nobis conſtat) mulctæ nomine Iure optimo illata nullo æquitatis colore reſtituenda veniunt.

Monopolium porro de quo Hanſeatici ſubditos noſtros criminantur, calumniæ potiús quám veræ accuſationis rationem præ ſe ferre videtur: ab ipſis enim Imperij ſubditis qui Londini reſident, diligentér inquiri iuſſimus, ſi quid ſolidi de iniquis ſubditorum noſtrorum negotiandi rationibus referre poſſent. Illi vero ingenué reſponderunt, ſe nihil ea de re in commiſſis habere: acturos tamen ſe quamprimúm per literas cum ſuis maioribus. Cumq; demum quid reſponſi acciperent id totum fideliter relaturos. Quæſtionem præterea ea de re cum ſubditis noſtris inſtitui mandauimus: illi vero authenticis ſcriptis edocent, negotiandi ipſorum rationes a plurimis Ciuitatibus in Belgio, Pruſcia, atq; alibi vti honeſtiſſimas probari. Atq; cum duæ Imperij Ciuitates ſint, quæ cum noſtris maximé negotiantur, Lubeca & Hamburgum, illarum altera, publicis literis (vt noſtri oſtendunt) teſtata eſt, ipſorum negotiationem ab omni Monopolij ſuſpicione vacuam eſſe: ſeq; illius obiectæ criminationis participem nunquam fuiſſe: Vbi vero Hanſeaticorum Inſtitores, plura ea de re ex Dominorum ſuorum expectata commiſſione, in ſcriptis oppoſuerint, ſe quoq; pluribus in ſcriptis reſponſuros humiliter obtulerunt.

Ad Auguſtanum denig; de commercijs inhibendis mandatum quod attinet, non ſatis intelligimus, qua ratione Imperij Principes rectè informati, de priuilegijs aut alijs quibuſcunq; ad Iura Regni noſtri, ab Imperij Legibus ſemper abſoluti, pertinentibus, cognitionem ſuſcipere potuerint: neq; ſané videmus quibus documentis eam in ſententiam adduci poſſent, vt commerciorum inhibitionem Imperio, Serenitati veſtræ, ſibi ipſis, aut Imperij Ciuitatibus, vtilem fore arbitrarentur. Quamobrem Mandatum illud vti obreptitié impetratum, Iure optimo hactenus ſuſpenſum fuiſſe, ac deinceps ſuſpendendum eſſe meritó exiſtimamus.

existimamus. Interim vero ne quid mutuæ amicitiæ nostræ desit, Imperij subditos qui in Dominijs nostris forté versabuntur, more solito benigna protectione nostra clementer tuebimur: atq; si Lubeca, Hamburgum, aut alia serenitatis vestræ Ciuitas, ipsius nomine gratiam á nobis submissé postulauerint, qua negotiandi rationes maiori ipsorum commodo instituendas cupiant, serenitatis vestræ commendationem plurimum apud nos momenti habuisse facilé intelligent; nos vicissim amantér petimus, vt parem gratiam subditis nostris in ipsius dominijs clementér impertire serenitas vestra non grauetur. Eidemq; interim fœlicia omnia a DEO Optimo Maximo precamur. Datæ é Regia nostra Richemundana octauo Nouembris, Anno Domini 1595, Regni vero nostri xxxvij.

Serenitatis vestræ Soror & Consanguinea

ELIZABETHA.

fSTC 9201.5
THE HOUGHTON LIBRARY
*61-97

Sereniſſimo Principi ac Domino, Domino RODOLPHO *Romanorum Electo Imperatori ſemper Auguſto; Regi Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, & Slauoniæ: Archiduci Auſtriæ: Duci Burgundiæ, Styriæ, Carinthiæ, & VVirtinbergæ: Comiti Tyrollis, &c. Fratri & Conſanguineo noſtro chariſſimo.*

LXXIII. 1598.